



# LECTORIBVS BIBLIOPOLA S.

*Exhibemus igitur, quod bene vertat, librum, vel thesaurum potius, eruditissimorum hominum suffragio mirifice probatum, & hinc eo vehementius iam diu expectatum, quo maiori plausu prima atque altera editio ab iis est excepta, qui cuique rei dignum pretium statuere suserunt. Ecquis enim arduum non aestimaret, res Imperii Romano-Germanici tam admirabili concinnitate edocere, veluti hoc factum libro fuit? quis notitiam tot principatum summorum sibi comparare volens LUDOVICO PETRO GIOVANNI auscultare vel omisit umquam; vel, si adeundi ipsum copia non esset, saeculum non accusavit, quod in exscribendis vilioribus libellis nimis aliquando studiosum optima doctrinae monumenta sepeliri interim, aut clam haberi patitur? quis denique, si nomine sub isto IO. PETRUM de LVDEWIG, Fridericianae Cancellarium, adhuc dum latuisse comperit, hoc ipsum opus tota mente non complexus fuit, utpote ab eo scriptum viro, qui, dum viueret, peritia docendi, & cognitione rerum publicarum nulli facile secundus videbatur, & ab ipsis regibus plus vice simplici ad extricandas quaestiones difficillimas adscisci meruit? Sed has laudes alii haud paullo dignius sunt persequuti. Meum erit dicere, quid in editione libri iteranda Tuo, Lector, commodo, praestare voluerimus. Nec enim sola operis tam pulchri ac praestantis raritas (tametsi illa quoque summa fuerat) impellere nos potuisset,*

X